

tangat. Corporale mundissimum sit, altare sit coopertum de mundis lintheis. Super altare nichil ponatur nisi capse et reliquie, aut forte quattuor evangelia, aut pixis cum corpore Domini ad viaticum infirmis; cetera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, lectionarium et antiphonarium unusquisque habeat. Locus in secretario aut juxta altare sit preparatus¹⁾, ubi aqua effundi possit, quando vasa sacra abluuntur; et ibi vas nitidum cum aqua dependeat, et ibi manus sacerdos lavet post communionem. Ecclesie sint cooperte bene, et camerate, et atrium sit sepe munitum. Nullus extra ecclesiam per domos, nec in locis non consecratis missam cantet. Nullus solus missam cantet. Omnis presbiter clericum habeat vel scolarem, qui epistolam vel lectionem legat et ad missam respondeat, et cum quo psalmum cantet. Infirmos visitate, et eos reconciliamini, et juxta apostolum oleo sancto ungite, et propria manu communicate. Et nullus presumat tradere communionem laico aut femine ad deferendum infirmo. Nullus vestrum pro baptizandis infantibus aut reconciliandis infirmis, aut mortuis sepeliendis, premium vel munus exigat. Videte ut per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus et litigiosus, quia servum Dei non oportet litigare. Nullus arma ferat in seditione, quia arma vestra spiritalia debent esse. Nullus canum aut avium jocis inserviat. Nolite in tabernis bibere. Unusquisque vestrum quantum sapit plebi sue de evangelio vel apostolo die dominico vel diebus festis anuntiet²⁾. Verbum Domini debemus predicare, et curam pauperum, peregrinorum et orphanorum habete, et eos ad prandium vestrum invitate. Estote hospitales, ut a vobis alii exemplum bonum sumant. Omni die dominico ante missam aquam benedictam facite, unde populus aspergatur; et ad hoc solum vas habete. Sacra vasa et vestimenta sacerdotalia nolite in vadium dare negotiatori vel tabernario. Nullus vestrum minus digne penitentem cujusquam rei gratia ad reconciliationem adducat, et testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuras exigat, et conductor sui fenoris existat. Res et facultates quas post diem ordinationis vestre acquiretis, sciatis ad ecclesiam pertinere. Nullus sine scientia et consensu nostro ecclesiam adquirat. Nullus per potestatem secularium ecclesiam adquirat. Nullus per peccuniam alterius ecclesiam subplantet. Nullus ecclesiam ad quam titulus est, dimittat, et ad aliam questus gratia migret. Nullus plures ecclesias teneat sine adjutorio aliorum presbiterorum. Nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum nisi in itinere aut si placitum fuerit ad missam recipiat. Nullus in alterius parochia missam cantet, absque

1) purpuratus Hs.

2) So auch unten.